

satis declaret, quam nobile fuerit ornamentum ur-
 bis, quam a materia, auream appellarunt. Nam
 aurum, regio adhibitum ornatui, ut est dictum, sa-
 cris quoque usibus admotum esse a Iudaeis, non
 templi tantum augustus splendor, uerum et alia
 quaedam ostendunt, quae sequens uidit aetas. Lau-
 dibus enim praeclaris mandata literis est eorum
 memoria, qui, ad reliquum sacrae suppellectilis de-
 cus, aurum attrulere. Quo factum, ut Gamlae fili-
 um, cum buxineas sortes, Levitici XVI. 6. comme-
 moratas, ex auro confecisset, hoc praeconio effer-
 ret Misnicum Ioma c. III. Misn. 9. ועשן בן גמלא של
 וזו זהב והיו מזכירין אותו לשב' *quas (sortes) Gam-
 lae filius aureas fecit, quam ob rem a Rabbini-
 cum laude eius iniecta est mentio.* non aliter, ac
 eiusdem capituli Misna 10. Monabazum quendam
 Regem, quod uasorum, quibus in expiationibus
 utuntur, omnium, ansas aureas fieri curasset, et ma-
 trem Helenam, quae, aureo candelabro, iuxta san-
 ctuarii ostium, posito, tabulam quoque auream fece-
 rat, in qua scriberetur פרתה כוטה *hoc est sectio, qua
 feminae declinantis maledictio continetur,* ho-
 norifice nominauit. Quae sane materia, utrum pro-
 pria huic urbi, atque perpetua, an myrteis, rosaceis-
 que sertis, uel sale, sulphureque, ac argento, mutata
 in deterius fuerit, dici uix potest: neque certo trahi
 ad hunc locum Gemarae et Iarchii glossa ad Suth.
 c. IX. Misn. 14. de sponsarum coronis, quae patrum
 decreto, Titi temporibus, prohibita esse dicuntur.
 Nam coronam fuisse hanc urbem, qua usae sunt

B

sponsae